

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7900

Auteur(s) : Nicolas d'Aigue [prêtre]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1250

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas d'Aigue vend à l'abbaye de la Trappe, moyennant huit livres tournois, une rente annuelle perpétuelle de douze sous, monnaie du Corbonnais, sur lui et ses héritiers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, H. « De Legneio », n° XIV (« Carta Nicholai de Aqua »), p. 212-213.

Texte établi d'après a

Ego, Nicholaus de Aqua, presbyter, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod ego, de assensu et voluntate Gervasii, fratri mei, et omnium heredum meorum, vendidi et concessi abbati et conventui Domus Dei de Trappa, pro octo libris turonensium quos habui ab eisdem in pecunia numerata, duodecim solidos cursalis monete corbonensis annui et perpetui redditus, habendos et percipiendos dictis abbati et conventui, de me et heredibus meis, ad natalem Domini annuatim, ita quod, si ego et heredes mei defecerimus a solutione dicti redditus ad terminum supradictum, campus meus de Montcorlain qui jungitur ex utroque latere terre domini de Montcorlain et aboutat inferius terre Gervasii de Guicent et superius chemino per quod itur de Montcorlain apud Sanctam Ceronnam, super quem campum assignavi dictum redditum et dictis abbati et conventui dedi in contraplegium, ille campus remaneret dictis abbati et conventui tenendus et in perpetuum possidendus, in liberam et puram et perpetuam elemosinam, ab omni jure, districtu et dominio feodali liber penitus et immunis, absque ulla reclamacione mei et heredum meorum ; imo etiam teneremur dictum campum dictis abbati et conventui sub dicta forma garantizare contra omnes et ab omnibus rebus penitus liberare, et de omnibus quibuscumque servitiis erga quoscumque dominos deservire, quia omnia servitia et jura feodalia exinde quibuscumque debita et quecumque sint et quandocumque facienda contigerint, in alio dominico meo et feodo retinui penitus et converti. Ad hec autem que in presentibus litteris continentur tenenda bona fide et garantizanda et ab omnibus penitus liberanda dictis abbati et conventui, ego, dictus Nicholaus, presbyter, obligavi me, et heredes meos volui obligari per presentes litteras, sigilli mei munimine roboratas. Ego autem, Hugo de Valnoscia, miles, dominus feodi capitalis, dictam venditionem, dicto modo factam, dictis abbati et conventui volui, laudavi et concessi et confirmavi et eam teneor garantizare, ad quod faciendum me et heredes meos obligavi sigillum meum presentibus litteris apponendo. Actum anno gracie M° CC° L°.